ENGELBERTUS ADMONTENSIS

Klosterneuburg, 1384

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=237
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Prov. xxviii. Qui avertit aurem suam ne audiat legem oratio eius erit execrabilis. Alii vero non exaudiuntur propter vitium scilicet propter orantem vel orationem. Vide ii. Machab. ix. Orabat autem scelestus dominum a quo non esset misericordiam consecuturus. Alii vero non exaudiuntur vel quia non expedit petentibus propter se quod petunt. Mat. xx. Nescitis quid petatis. Vel quia non expedit propter alios. Vide supra. Job xxxv. Ibi clamabunt et non exaudiet propter superbiam malorum. Unde Gregorius: Sepe iratus omnipotens exaudiri [illegible] voces oppressorum et ideo non concedit iustis temporalia quia iusti salvari non merentur eternaliter. Alii autem preces exaudiuntur. Ps. Ad dominum cum tribularer clamavi et exaudivit me. Alii vero proveniunt cum plena sunt vita et impleta opera et cum postulant iusta. Ys. lxv. Et erit antequam clament ego exaudiam. Dan. ix. Adhuc me loquente in oratione mea ecce vir Gabriel quem videram a principio visionis cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini et docuit me etc. Alii autem differuntur. Apoc. vi. Adhuc sustinete modicum tempus donec impleatur numerus fratrum vestrorum. Greg. Sepe desideria nostra que recte implorantur petita ideo non exaudiuntur quia ex ipsa tarditate exauditionis melius proficiant. Huius autem dilationis due sunt utilitates. Primo ne statim petita et concessa vilescant. Aug. de verbis domini xxix. Aliquando concessa petere differt ei Deus sepe quod vult dare ut desideres dilatum, ne vilescat cito datum. Item ecce ut diu petita tarde concessa dulce stant. Aug. de verbis domini v. Cum Deus dat tarde sua dona, non negat sed commendat. Servat enim tibi quod non vult cito dare ut discas magna magne desiderare. ¶ Cum sit itaque petitionis sive ad devotionem modus et causa exauditionis ut impetrante humilitas insinuetur et inexaudiente propter et gratia commendetur. Cum dicitur Audi secundum misericordiam tuam. Amb. Divinam misericordiam non considerat qui suam miseriam non recognoscit. Dicat itaque: audi secundum misericordiam tuam id est quod non secundum vitam meam. Amb. Rara est in hominibus virtus et multa peccata

Alii differuntur

Causa dilationis duplex

vel secundum misericordiam tuam id est secundum non voluntatem meam ut cum desiderat et desiderio ad gratiam moveat. Aug. de verbis domini lxiii. Non est magnum exaudiri ad voluntatem sed magnum est non exaudiri ad sanitatem. Accipite paulum non ad voluntatem sed ad sanitatem fuit secundum misericordiam exauditus. Est quidem sicut talis secundum Aug. Vocem meam audi secundum misericordiam tuam auferendo tribulationis penam. Et secundum iudicium tuum vivifica me tribuendo perseverantie gratiam. Item in misericordia liberando secundum iudicium remunerando. Aug. Ipsa misericordia non est sine iudicio neque iudicium sine misericordia etc. Et sic intelligitur quia cum in presenti iudicamur a domino corripimur quod est gratiam iudicium hic vel in futuro contra mundum. Hec est unde item in continuatione huius petit misericordiam consolationis in tribulatione et perseverantie in pace usque ad finalem consummationem et petit vivificari non quia mortuus sed iuxta spiritualiter confortari et confirmari ut inveniat vitam gratie in presenti et glorie in futuro. Item secundum iudicium retributionis de quo dicitur ii. Thess. i. Iustum est apud Deum retribuere hiis qui tribulant vos et vobis qui tribulamini requiem etc. Cum iudicii equitas fundatur super eo quia sicut dicitur ii. Cor. i. Sicut habundant per Christum passiones ita et consolatio in hiis qui patiuntur pro Christo.

Appropinquaverunt persequentes me iniquitati.

Reddit urgentem causam necessitatis predicti sui clamoris et perventionis et festinationis et orationis sue quia persecutores appropinquaverunt etc. Appropinquaverunt iniquitati quia iniqui et cum iniquitate persequuntur. Quia quanto magis iniusto sic appropinquaverunt tanto plus se a lege dei separant. A lege autem recedere est iniquitati appropinquare quia lex dicit: Diliges proximum tuum. Qui vero persequitur odit. Qui odit a lege recedit. Quia diliges precipit. Significat quod persecutores mundi appropinquant iniquitati triplici secundum triplicem in scriptura persecutione iniquitate triplici consistunt. Hec est iniquitate infidelitatis in Deum, impietatis in proximum et inhumanitatis in humane nature debitum. Infidelitatis in Deum [illegible]

Persecutores mundi